

perpetuo possidendum confirmavit, ut iidem historici testantur. Mentitur igitur Illyricus cum ait, Carolo Magno sine Pontificis auctoritate monarchiam Clodovei esse delatam.

CAPUT X

Non accepisse Carolum Magnum imperii dignitatem auctore senatu, populo Romano.

Quartus erat titulus, beneficium S. P. Q. R. Illyricus enim, ut nihil intactum relinqueret, tametsi aliquoties in suo libro significaverit, nihil a senatu, populo Romano Carolum accepisse, tamen objecit, etiam aliquot auctores, qui populo, ac senatui potius quam Pontifici imperium a Germanis acceptum referri debere scripserint. Hi sunt Sigebertus, Blondus, Leopoldus, Æneas, Vincentius, et Onuphrius, quorum sententias sic refert Illyricus pag. 7. 53, et 56. ut licet non omnino eas recipiat, tamen probabiliores existimet iis, quæ translationem imperii Romano Pontifici tribuunt. At nos in primis iis auctoribus, quos testes producit Illyricus, opponere possumus illos omnes, quos supra citavimus, hoc est, plures paucioribus, et antiquiores recentioribus. Illi enim supra triginta erant; isti sex: illorum nonnulli scripserant, ipso Carolo vivente; multi non diu postea; Ex istis autem unus Sigebertus trecentis annis Carolo posterior fuit; reliqui quingentis, aut sexcentis, aut etiam septingentis et eo amplius annis posteriores fuerunt. Quis igitur non videat utri majorem fidem mereantur, quos nos citavimus, an quos Illyricus citat?

Neque tamen concedimus sex istos scriptores omnino esse a nostra sententia alienos. Nam Sigebertus, qui eorum est vetustissimus, et qui Sigebertum secutus est Vincentius Belvacensis, nihil tribuit Romano populo in imperii translatione præter assensum et acclamationem. Hæc enim sunt verba Sigeberti et Vincentii: Romani, qui ab imperatore Constantinopolitano jamdiu animo desciverant, nunc accepta occasionis opportunitate, quia mulier, excæcato imperatore Constantino filio suo, eis imperabat, uno omnium consensu Carolo regi imperatorias laudes acclamant, eumque per manus Leonis Papæ coronant, cæsarem et augustum appellant: Pipinum vero filium ejus regem Italiæ ordinatum collaudant. Hic nullam plebisciti, nullam senatusconsulti mentio-

nem fieri audio, sed solius laudis, et acclamationis. Et quamquam non aperte Sigebertus explicet, utrum populi acclamatione coronationem, an coronatio acclamationem præcesserit, tamen dubium esse nemini debet, quin coronationem pontificiam præcessisse Sigebertus intellexerit, alioqui enim pugnaret cum omnibus historicis, qui ante ipsum de eadem coronatione et acclamatione scripserunt.

Quod vero Sigebertus ait, a populo Carolum per manus Leonis coronatum, non recte interpretatur Illyricus, Leonem ut ministrum ac delegatum populi, coronam imperialem Carolo imposuisse, cum potius ea verba significant, sic placuisse populo id quod princeps eorum et pastor summus fecit, ac si ipsi per manus ejus id fecissent. Quod quidem ex sequentibus verbis illustrari potest. Nam de Pipino, quem ex consensu omnium historicorum Leo Papa tum regem Italiæ declaravit, cum ipsum Carolum imperatorem fecit sic loquitur Sigebertus: Pipinum vero filium ejus, regem Italiæ ordinatum collaudant. Ubi vides ordinationem regis, Pontifici laudationem quæ secuta est populo tribui.

Jam vero Blondus nihil omnino sententiæ nostræ officit. Nam (ut notavimus cap. 3.) etsi scitum populi Romani in coronatione Caroli non defuisse scribat, tamen id contra fidem antiquorum tradit. Ac præterea non significat ejusmodi plebiscito imperatorem Carolum appellatum, sed eum ad imperium a Pontifice Maximo postulatum, Nam, ut ibidem Blondus ait, precibus populi Romani Leo Pontifex Carolum imperatorem dixit.

Porro Lupoldus non meminit plebisciti, aut senatusconsulti, sed solum recitat cap. 3. extrema verba Vincentii, quæ sunt illa quæ habet Sigebertus, de quibus jam diximus. Ex propria autem sententia passim Lupoldus repetit translationem factam esse per Pontificem, ac præter alia sic ait cap. 4. de Juribus imperii: «Leo Papa, consideratis omnibus, quæ digne ac bene sufficiebant pro translatione imperii de imperatoribus Constantinopolitanis ad reges Francorum faciendam, ipsum Carolum Romæ in Ecclesia sancti Petri in die Natalis Domini, sub anno ejusdem Domini 801, acclamante ac petente populo Romano unxit et coronavit imperatorem et augustum, per quas unctionem et coronationem dicta translatio peracta fuit: ut etiam dixi supra capitulo primo, et capitulo præcedenti in fine». Et infra cap. 12. pro-

ponit opinionem quorundam, qui dicebant, populum Romanum posse leges condere, et imperium transferre; deinde subjungit: «Sed hæc responsio, salvo meliori judicio, mihi non placet. Ex quo enim imperium Romanorum tempore dictæ translationis, et etiam longo tempore ante ipsam, non fuit apud Romanos, sed potius apud Græcos, nec etiam hodie apud Romanos, sed apud Germanos existit, non occurrit ratio, quare populus Romanus tempore translationis prædictæ habuerit, vel etiam hodie habeat majorem potestatem circa translationem imperii, quam quicumque alius populus imperio Romano subjectus». Hæc ille.

Viderit igitur Illyricus qua fide auctores citet. Certe Lupoldus non poterat clarius negare id, quod ab eo affirmari Illyricus scripsit. De Ænea Sylvio facilis responsio est. Nam et in iis verbis, quæ Illyricus citat (quæ tamen ut verum fatear, adhuc in operibus Æneæ invenire non potui) non excluditur consensus Romani Pontificis, et in abbreviatione Blondi lib. 1. decadis 2. precibus Romanorum scribit idem Æneas a Leone Pontifice Carolum coronatum: et denique in epistola ad regem Turcorum, quam supra citavimus, disertis verbis idem auctor affirmat a Pontificibus, prædecessoribus suis (fuit enim et ipse Summus Pontifex) in reges Francorum imperium esse translatum.

Solus igitur Onuphrius est, quem pro se Illyricus allegare potest: cujus testimonium tribus rationibus non modo infirmari, sed omnino refelli ac profligari potest. Primum, constat aliquando imperatores invito, ac repugnante populo Romano, creatos fuisse, quos tamen veros ac legitimos imperatores cum ipse Illyricus, tum etiam historici omnes agnoscunt. Exemplo esse potest Fridericus primus, quem, repugnante populo Romano, coronavit Romæ in templo sancti Petri Adrianus Papa quartus, quam historiam vide apud Othonem Frisingensem lib. 11. de rebus gestis Friderici cap. 22. Deinde cum historici vetustissimi, tum Latini, ut Eginarthus, Paulus Diaconus, Aimoinus, Ado, Rhegino, et cæteri, tum Græci, ut Cedrenus et Zonaras, in describenda translatione imperii, aut nullam populi, atque senatus mentionem fecerint, aut ei solam acclamationem, Carolo jam coronato, tribuerint: unde, quæso, post octingentos ferme annos Onuphrius didicit S. P. Q. R. suffragiis Carolum Magnum imperatorem et augustum appellatum?

At credibile est ita rem accidisse: ita enim fieri decuit. Respondebo quod Onuphrius ipse recte monuit in lib. de comitiis imperatoris, non esse fidelis historici rem describere, ut fieri debuisset, sed ut facta est. Alioqui enim non res gestæ scribuntur, sed mendacia obtruduntur. Quid autem factum sit, non ex philosophiæ promptuariis hauriendum est, sed ex eorum narratione, ac fide, qui interfuerunt, vel qui ab iis, qui interfuerunt, acceperunt, aut certe qui aliorum testimonio sibi commendata, litteris ac memoriæ tradiderunt. Deinde Romani principes post constitutam a Julio et Augusto monarchiam, aut ab alio principe nominabantur, aut ab exercitu creabantur. Quos senatus, aut populus creavit, ii et paucissimi fuere, et non diu tolerati. Certe in tanto numero principum romanorum, tres tantum Onuphrius in lib. de Comitiis imperatoris nominat a senatu electos, Nervam, Maximum cum Balbino, et Tacitum. Nervam a senatu creatum, Dion Cassius, quem solum Onuphrius citat, non dicit; Aurelius Victor arbitrio legionum (quamquam id non in omnibus codicibus haberi animadverti) Nervam imperatorem factum scripsit. Eutropius lib. VIII. favore præfecti prætorio Nervæ delatum imperium testatur. Ipse quoque Onuphrius sic a senatu Nervam creatum imperatorem scripsit, ut non negaverit accepisse etiam suffragium militum prætorianorum, sine quo videlicet irrita fuisset electio. Maximus et Balbinus invito exercitu electi, prima data occasione a militibus interfecti sunt. Siquidem (ut scribit Herodianus lib. VIII.) indignabantur milites sibi a senatu principes datos, quos et senatorios imperatores per ludibrium appellabant. Tacitus a senatu quidem dictus est, sed militibus jubentibus; ut Flavius Vobiscus scribit in ejus vita: senatus enim ad milites imperatoris electionem rejiciebat, prope intelligens non placiturum militibus principem, quem ipsi non elegerant. Itaque recte S. Hieronymus in epistol. 85. ad Evagrium, imperatorem ab exercitu creari dicit.

Cum igitur hæc fuerit apud Romanos eligendi principis ratio, multorum sæculorum consuetudine roborata, quis credat post annos 800, Romanum senatum, aut populum, quando nullius ferme auctoritatis erat, id fuisse ausurum in electione principis, quod ante, cum floreret, minime audebat? Quare consultius fecit Joannes Aventinus, quem

Illyricus et Onuphrius præter cæteros laudant. Is enim cum senatusconsultum, et plebiscitum in imperii translatione omnino habere vellet, et tamen non auderet contra fidem omnium veterum id asserere, tacitum senatusconsultum, et plebiscitum factum fuisse scribit, et primas partes ejus actionis Pontifici Romano attribuit. Sic enim loquitur lib. IV. Annalium Boiorum: « Pontifex, senatus, populusque Romanus imperium transferre jure suo in Germanos, Carolumque tacito senatusconsulto, plebiscitoque decernunt ». Nimirum sic interpretari voluit hic auctor acclamationem populi Romani, Carolo a Pontifice coronato. De qua veteres loquuntur, ut videlicet illa acclamatio quoddam veluti plebiscitum fuisse videretur. Sed de his satis. Nam neque adversarius (ut supra diximus) hunc imperii titulum agnoscit.

CAPUT XI.

Non devenisse ad Germanos imperium donatione Græcorum.

Restat postremus titulus, principis Orientalis donatio, sive communicatio, quem titulum Illyricus non solum agnoscit, sed etiam pro viribus defendere nititur. Tot vero fraudibus et mendaciis in hac una re explicanda utitur, ut mirum sit, si non ipse sibi apud sanos lectores existimationem, fidemque detraxerit.

Nobis autem ad hunc titulum explendum duplex via, eaque expeditissima, sese offert. Primum enim historici tum veteres, tum recentiores scribunt, Græcos imperatores, cum primum ad eos fama perlata est coronationis Caroli, vehementer commotos atque indignatos fuisse. Quod sane argumentum est evidens, imperium Carolo non esse Græcorum donatione tributum. Sed verba historicorum audiamus. Eginarthus, Caroli Magni (ut supra diximus) cancellarius, in vita ejusdem Caroli, postea quam exposuit coronationem, ita subjecit: Invidiam suscepti nominis, Constantinopolitanis imperatoribus super hoc indignantibus, magna tulit patientia, vicique eorum contumaciam magnanimitate, qua eis procul dubio longe præstantior erat, mittendo ad eos crebras legationes, et in epistolis fratres eos appellando. Sigebertus in Chronico anni 803. et Conradus Abbas Urspergensis in Chronico, ubi refert compendio res gestas Caroli, iis-

dem fere verbis indignationem imperatorum Græcorum describunt. Quos secutus Albertus Krantzius lib. II. Saxonie cap. 8. ita scripsit: Invidiam suscepti nominis, Constantinopolitanis imperatoribus non dissimulantibus magna superavit pecunia: vicique eorum contumaciam magnanimitate, qua Græculis multum præstabat.

Deinde ex historiis constat Græcos imperatores agnovisse tandem vel invites imperium Caroli, sed non antequam iis a Pontifice imperator appellatus et augustali diademate insignitus est. Ut nonnisi impudentissimo mendacio Illyricus scribere potuerit pag. 48 et 52. multis annis ante Caroli coronationem concessum eidem Carolo fuisse imperium Occidentis ab imperatore Græco.

Exstant annales Francorum accuratissimi, ipso Caroli tempore conscripti. In his anno Domini 798. ponitur prima legatio Irenes imperatricis ad Carolum nondum imperatorem, qua legatione non imperii communicatio tractata est, sed restitutio captivorum. Deinde anno 801. adscribitur Caroli coronatio Romæ facta a Pontifice Leone. Tum anno 802. qui fuit ultimus Irenes, narratur alia legatio ejusdem Irenes ad Carolum imperatorem, pro pace inter Græcos et Francos impetranda. Sed neque in ea legatione ulla mentio communicationis imperii facta est. Anno 803. describitur legatio Nicephori imperatoris, qui Irenæ successerat, ad eundem Carolum pro impetranda pace; de imperii communicatione nulla mentio. Pacem enim optabant Græci a rege Francorum potentissimo, sed nondum (quod ex veteribus colligatur) Carolum salutare imperatorem et augustum dignabantur. Anno 812. qui fuit ultimus Nicephori, commemoratur legatio Michaelis, qui successerat Nicephoro, ad eundem Carolum, et tum demum scribit auctor Annalium, a legatis Græci imperatoris Carolum Magnum, cum jam annos 12. imperaret, imperatorem et augustum salutatum. Denique anno 814. scribit auctor obitum Caroli, quem annis 14. in imperio fuisse testatur, ac proinde non numerat annos imperii a consensu Græcorum, sed a coronatione, quam a Leone Pontifice Romæ susceperat. Consentiant his annalibus omnes historici graviore, Aimoinus lib. IV. cap. 90 et 91. Paulus Diaconus lib. XXIII rerum Roman. Ado Viennensis in Chronico 6. ætate, Rhegino Prumiensis lib. II. Chronico. Otho Frisingensis lib. V. cap. 31.

et sequentibus, Cedrenus in compendio historiæ, Zonaras in annalibus, Abbas Urspergensis, Hermannus Contractus, et Sigebertus in Chronico, Blondus lib. I. Decadis 2. Platina in vita Leonis III et (quod magis est admirandum) Illyricus Cent. 9. cap. 16. col. 621.

Videamus nunc quid Illyricus in lib. de translatione imperii adversus hanc notissimam, certissimamque historiam, adversus scripta sua priora, et (ni fallor) etiam adversus propriam mentem et conscientiam adferat: « Habuit (inquit pag. 47.) Carolus Magnus imperialem dignitatem concessione, ac consensu Constantinopolitanorum imperatorum, quod aliquanto elarius ordineque deinceps exponam ». Nec nos diffitemur, consensisse tandem Græcos in imperium Caroli, sed invites; et, ut tu ipse loco notato in centuriis dicis, quod mutare non possent, quod a Leone Pontifice jam factum erat. Sed perge, et expone quod proposuisti. « Platina, ut homo Italus, et Papis suis addictissimus, studio rem totam obscurat: ac cum narrasset, Romæ Carolum, acclamante ei populo (ut imperatori) a Leone coronatum esse, mox addit hæc verba: Interea vero Constantinopolitana imperatrix, missis in Italiam legatis, cum Carolo foedus et pacem iniit, imperiumque hisce terminis divisit etc., quibus verbis ostendit quidem imperatricem procul dubio de consensu imperialis senatus Carolo Magno concessisse Occidentale imperium, et haud dubie etiam nomen ipsum cum re, sicut omnes alii historici scribunt; sed tamen non vult clare dicere, an antea Papa populusque eum coronaverint, aut vero imperatrix illi eam dignitatem, et potentiam concesserit ».

At certe Platina satis clare expressit, post peractam Caroli coronationem, legatos de pace ab Irene ad Carolum venisse. Sed fac Platinam ut Italicum, et Papis addictum, rem obscurasse: quid respondebis ad annales Francorum, ad tot historicos supra citatos, Græcos, Germanos, Gallos, ad te ipsum denique? certe illi nec Italici erant, nec Papis addictissimi; et tamen coronationem Caroli antea factam, quam legati de pace ab Irene mitterentur, clarissime docuerunt.

Quod autem addis, omnes historicos testari, nomen imperatorum cum ipsa re, quæ tanto nomini respondet, Carolo ab Irene concessum, mendacium est apertissimum: Nul- lum enim historicorum reperire potui (evolvi

autem plurimos), qui id ullo verbo significaret quod tu dicis; quin potius annales Francorum, Ado Viennensis, et Rhegino Prumiensis in Chronicis anno 812. tanquam rem novam et insolitam referunt, quod legati Michaelis, qui tertius fuit ab Irene, laudes imperatorias Carolo dixerint, eumque imperatorem et Basileum appellaverint. Perge. « Verum quod antea imperatrix id fecerit quam Papa, vel populus, inde liquidissime apparet, quia, teste Matthæo Palmerio Florentino, et Martino Polono, antea est Irene imperatoria dignitate spoliata per Nicephorum, quam Papa Leo, populusque eam actionem cum Carolo Romæ habuit. Sunt vero isti duo vel diligentissimi supputatores temporum ». Et hic, ni fallor, contra conscientiam loqueris.

Nam in primis, qua fronte audes Martinum Polonum diligentissimum temporum supputatorem appellare, quem constat omnium fere historicorum fuisse negligentissimum? Ac ne longius abeamus, in descriptione annorum Irenes, Nicephori, Michaelis et Caroli imperatorum, quæ omnia vix duas paginas explent, sex commisit errores. Primum Irenem solam tribus annis imperasse dicit. At Paulus Diaconus, qui Irenes tempore vixit lib. XXIII. rerum Romanarum, quinque annos, et aliquot menses illi tribuit, et singulorum annorum acta describit. Idem facit auctor Annalium Francorum, qui Pauli Diaconi æqualis fuit. Idem Cedrenus, Græcus auctor, in compendio historiæ. Idem alii veteres, et ex recentioribus Onuphrius lib. II. de principibus Romanis Irenæ soli tribuit annos quinque, menses undecim, dies 17. Deinde Nicephorum, qui Irenæ successit, Martinus Polonus solum mensibus novem imperasse scribit. At Paulus Diaconus, Cedrenus, Annales Francorum, et omnes alii veteres, octo annos, et eo amplius Nicephoro tribuunt: Onuphrius lib. II. de principibus Romanis annos octo, menses octo, dies 26. et ne putetur esse librorum error in numero; quid singulis annis Nicephorus egerit, Paulus Diaconus et Cedrenus diligenter perscripserunt. Tertio Michaelis imperium constituit Martinus Polonus anno 800. contra omnium aliorum historicorum tum veterum, tum recentiorum fidem. Quarto Caroli Magni initium ponit anno 802. neque errore librorum id factum existimari debet. Siquidem eodem in loco Carolum imperasse dicit annis 14. mense uno,